

## **Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiae, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De Testamentis, Codicillis, & ultimis voluntatibus. Pars II. De  
Hærede, & Hæreditate. Pars III. De Legitima Trebellianica, & aliis  
Detractionibus

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1690**

Disc. XXV. Tudertina successionis. De testamento condito coram parocho,  
& testibus juxtà formam cap. cum esses de testamen. Et an testes  
debeant esse omnino integri, istaque forma sit solemnis, vel ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74043](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74043)

## DISCVRSVS XXV.

55

- usibus, cum omni sinceritate applicari debeat, eo modo quo ipse defunctus pro qualitate personæ, quantitate patrimonii, numero, vel indigentia filiorum, vel coniunctorum, ac more regionis, verisimiliter disporurus fuisset, vel disponeret si resurgeret, ita hoc arbitrium, discreterè, nimirumque moderatè exercendo tanguam bonus vir, non autem ex propria cervice, vel ut se ipsum, ac suos ditaret, potius quam, ut animæ defuncti provideret, magnum tamen lumen ad id præbente schedula, quamvis imperfecta, & preparatoria ejusdem defuncti; Sancti tamen est, ut indefinite hujusmodi consuetudines omnino abolirentur, ita præcedendo scandalorum occasione; Licet enim sanctæ, ac prudentes sint provisiones desuper traditæ, attamen punctus est in excusatione, ac observantia, cum pauperes oppresi, non habeant modum recurrendi, ac substinenti lites in Curia Romana super excessiva taxa, vel mala applicatione, adeò ut præfata, ac similes moderationes ferè inanes remaneant, ideoque deberet eradicari occasio, id prohibendo indecinit.
- Applicando autem ad rem, judicium desuper efformari non potuit, dum id pender à probationibus faciendis super dicta consuetudine, qua non probata, clare fundata remanet hujus Partis intentio; Verum, ea etiam probata, adhuc sine dubio istud arbitrium videbatur indiscretum, ac irrationalabile.
- TUDERTINA**  
**SUCCESSIONIS**
- P R O*
- MARTA, ET MARIA DE NOBILIBUS
- C U M*
- BARTHOLOMÆO ET FRATRIBUS.
- Causa decisio per Rotam pro Bartholomeo & aliis.*
- De testamento condito coram Parrocho, & testibus juxta formam cap. cum esses de testamento; Et an testes debeant esse omnino integri, istaque forma sit solemnis, vel probatoria; Et incidenter de statutis laicibus, an habeant locum in successione clericorum.
- S U M M A R I U M .*
- <sup>1</sup> **F**acti series.  
<sup>2</sup> Resolutiones cause.  
<sup>3</sup> Forma testandi coram Parrocho, & duobus testibus in terris Ecclesiæ attenditur etiam in prophanis.  
<sup>4</sup> Sed testes debent esse integri.  
<sup>5</sup> Defectus testium suppletur ab adminiculum.  
<sup>6</sup> Vel ab aliis testibus ultra rogatos.  
<sup>7</sup> Quid testes debeant esse rogati.  
<sup>8</sup> Declaratur.  
<sup>9</sup> Quod schedula preparatoria prefat adminiculum.
- 10 Adminiculum etiam resultat, ubi observetur ordo intestata successionis.  
11 De Statuto Tudertino in successione.  
12 Quod in successione clericorum non attendatur Statutum.  
13 Contrarium verius remissive.  
14 Ubis tenenda sit prima opinio, cessat si constat de diversa morientis voluntate.  
15 Forma inducta per cap. cum esses, non est solemnis, sed probatoria.  
16 Sine parrocho sufficiunt quatuor testes simplices.  
17 Quod loco parrochi sufficiat Confessorius ordinarius.  
18 Cui ratione innixa sit dispositio cap. cum esses.  
19 Omnino circa probationes deferendum sit, & an fæmina linit testes.  
20 De conclusione, ut dicta forma testandi procedat solum in infirmo.  
21 De historia legum civilium.  
22 Et an debeat esse confessorius ordinarius, vel sufficiat quilibet.

## D I S C . XXV.

**G**RATIUS confirmato Gregorio, atque accessito Notario, per illum, eo dictante, <sup>1</sup> conscripta fuit schedula testamentaria, stipulatione dilata ad diem sequentem juxta precium casum in sepius enunciato <sup>2</sup> cons. 119 Oldrad. Cumque sequenti die, ingavesciente morbo, Notarius promptè haber non posset, hinc coram parrocho, & duobus testibus idem Gregorius denuo disposuit eodem adamassum modo, quo in dicta schedula hecferna die ipso dictante à Notario conscripta continebatur, instituendo scilicet hæredes, Martam, & Mariam sorores, cum quibusdam legatis ad favorem Bartholomæi, & fratum ex altera præfuncta sorore nepotum; Iltis autem prætentibus ob testamenti invaliditatem aequali intestatam successionem, introducta causa coram Ordinario, pro hæredibus testamentariis emanavit sententia, in gradu appellacionis revocata per A. C. introductaque causa <sup>3</sup> in Rota coram Celso sub die 20. Maii 1661. habito testamento pro invalido, pro omnium contendentium æquali intestata successione responsum fuit, ut patet ex decisi. 35. inter ejus impress. confirmata 27. Februario 1662. coram Bourlemoni, neque, quod sciám, causa ulteriore progressum habuit, vel quia partes acqueriverint, vel se concordaverint, aut mutaverint defensores.

Dictarum resolutionum Rotalium, ac etiam sententia A. C. fundamentum fuit imperfæctio dicti testamenti; Non quidem ut dubitaretur, quod formula præscripta per text. in cap. cum esses de testam. sufficiens non esset, eum in Statu Ecclesiastico, (excepta Urbe ob Statutum disponens, ut servari debet ius civile), extra controversiam sit, ut ista testandi forma sufficiat, etiam ad causas propheticas exempli deductis per Fagnan. in eod. cap. cum esses, ubi more antiquorum Reputentium, multashujus Decretalis lectiones refert, ac expendit, atque in idem plura colligit Boff. tom. 3. moral. tit. 13. §. 1. num. 4. Quintinò plurimum sententia est, ut etiam in Statu Ecclesiæ mediato id procedat.

Sed ex eo quod idem textus desiderat testes omnino integros, quales in proposito judicati non fuerint, ob aliquas exceptiones, quæ parrocho, & testibus dabuntur, præsternit quod parrochus in annotatione, quam de hoc actu fecerat, adjecisset <sup>4</sup> clausulam codicillarem, ac prohibitione detractio-  
num, aliasque clausulas de Notariorum stylo adjici-  
solitas,

E 4

CDelUCA  
De  
Testamentis  
et ceteris  
GVI

Solitas, cumque de hoc fuisset querelatus coram ordinario, ingenuè confessus est, id à testatore sibi injunctū non fuisse, sed quod Notarius ejus amicus illam formulam sibi dederat, juxta quam testamentum per relationem ad dictam schedulam extende-re deberet.

Mihi scribenti pro testamentariis (reflectendo etiam ad solam veritatem), resolutiones non plau-cerunt, neque intellectus in earum obsequium cap-tivari potuit, quoniam ubi etiam dicta exceptio, aliae (nihil tamen leves), quaē dabantur contrā parochum, & duos testes ad id inducōs, eorum fidem minuerent, adē ut dicendi non essent omnino integri, ac idonei, ut textus exigere videtur;

**5** Adhuc tamen hujusmodi exceptions, ad exuber-rantiam sanare, vel suppletæ remanere videbantur ex pluribus, quæ ubi etiam singulariter, ac distin-ctè ponderata, non essent efficacia, attamen simul juncta, cum regula, ut singula, quæ non prosumt &c. abundare videbantur, ex recepta generali proposi-tione, ut testium exceptions à numero, ac admini-culicis sanentur, vel suppleantur, ex iis quæ ceteris relatis habentur in specie apud Honded. consil. 77. n. 21. & seqq. lib. 1. Crocc. discept. 11. n. 11. & seqq. ubi concordanter, & est regula generalis, de qua apud Buratt. decif. 143. 349. & 725. Orthob. decif. 200. & frequenter, atque in Firmano codicillorum decif. 312. & 369. part. 9. recent. proceditur cum hoc sensu.

Administracula verò plura erant; Et præsertim quod in eadem aula, in qua jacebat infirmus, plures alii aderant, qui examinati idem affirmabant, quamvis parochus, non omnes, sed duos tantum ex eis ro-gasset in testes, quoniam licet alii ad id assumpti non essent, adhuc tamen de hoc testabantur, ideoque nulla subesse videbatur dubitandi ratio, cur eis deferendum non esset ad plenam probationem de per-se, multò verò magis ad dictum effectum admini-culandi.

Scribentes pro venientibus ab intestato, insiste-bant in eo, quod testes in testamento adhibendi, de-bent esse rogati, quodque de non rogatis nulla ra-tio habenda est ad text. in anib. Rogati C. de testibus, cum concordantibus; Idque requiri etiam in testa-mento condito juxta hanc formam juris canonici in cap. cum esses, est magis communis, & recepta opinio, & ceteris relatis habetur apud Farinac de testibus. quæst 62. num. 134. & seqq. Gratian. discept. 93. num. 1. & seqq. Fagnan. in cod. cap. cum esses n. 17. & seqq. Rot. decif. 2. numer. 21. & seqq. post Gilian. ad Statut. & admittitur in proxime alleganda decisione; Multò verò magis ex facti circumstantia in decisionibus ponderata præsertim in prima coram Celfo, quod dicti alii testes expulsi fuerant ab aula, in qua testa-tor jacebat.

Verum id non videbatur motivum relevans, quo-niam iste rogitus requisitus non est pro fama, vel solemnitate precisa, sed solum, ut ita constet, quod testator coram illis testibus animo deliberato te-standi, ea verba protulerit, quodque non jocose, vel blandiendo ita dixerit, ideoque ubi adsit dicta circumstantia deliberata voluntatis tunc redacta ad actum testandi, rogitus dicitur adesse implicitus, ac virtualis, qui sufficit, ut bene firmat Rota in Imolen. successionis 18. Maii 1640. coram Cervo, & habetur apud Gratian. dicta a discept. 93. & latius apud Boff. ubi supra eod. tit. 13. §. 5. num. 54. Multò verò magis, dum duo testes, qui ad formam dicti textus requi-runtur, aderant expressè rogati, allii verò non rogati, deducebantur, non tanquam testamentarii, sed ad-miniculativè, ad comprobandam rei sinceritatem, tollendamque suspicionem resultantem ab exce-

ptionibus, quas testes testamentarii pati videban-tur.

Alterum vehemens adminiculum resultare obser-vabam ex dicta alia schedula, quæ præcedenti die, ipso testatore dictante, per Notarium conscripta erat, dum in omnibus conformabat cum adnota-tione parochi; Non quod dicta schedula præpara-toria perfectam dispositionem contineret, cum vera sit conclusio, de qua apud Celf. d. dec. 351. numer. 1. & habetur plures in præcedentibus, ut etiam in tes-tamento ad pias causas, magis communiter rece-pitum sit consil. 119. Oldrad. sed ut ita constare dicere-tur de continuante voluntate ab initio habita, ac de sinceritate actus.

Et tertium vehemens adminiculum resultare ob-servabam ex eo, quod testamentum continebat eu-ndem ordinem intestatae successionis à Tudertina Civitatis Statuto præscriptum, unde propterea cessabat omnis machinationis, ac fallitatis suspicio, ob quam rigorosa solemnitates in hac testamento-rum materia per legem requiruntur, ut in præceden-tibus, ac seqq. occasione testamenti inter liberos, vel ad pias causas advertitur; Omnibus etenim simul junctis, rei veritas nimium aperie probara videba-tur.

Ex hujus etenim Civitatis Statuto distillat. 2. rubr. 56. & de quo statuto Bart. mentionem habet consil. 8. lib. 1. successio delata est solis agnatis exclusis cognati, atque sub agnitorum numero veniunt etiam sorores, & neptes ex fratre, vel amitæ, cum etiam foeminae dicantur agnatae, ex iis, quæ plenè haben-tur decif. 133. & 491. par. 9. recent. & plures sub tit. de fideicommissis; Quoniam secundus est ad effectum Statuti 14. Urbis, ut recedendo à d. decif. 491. habetur decif. 267. ead. par. 9. & in sua materia sub tit. de suc-cessione.

Adversus hoc ultimum adminiculum deductum ab ordine intestatae successionis; Replicabant Scri-bentes in contrarium, (atque secunda decisio cor-12 rum Bourlemonit admittit motivum), quod scilicet cum ageretur de successione clerici, non intraret statutum laicale, sed attendi deberet ordinis juris com-munis, cum quo præsumptio est, quod testator Statuto non subjectus, se conformare voluerit, ju-xta opinionem sepius à Rota firmatam præserit Orthob. decif. 149. & in alia Tudertina dec. 216 par. 11. recent. & postea quoque dictum fuit in Urbianen. successionis 11. Maii 1668. & in Aesina hereditatis 7. Iunii 1669. coram Taita, & in aliis.

Id autem nullum probabile fundatum habere videbatur; Tum ex iis quæ habentur in sua mate-ria sub tit. de successi. dict. 1. & in aliis plures, super hu-jusmodi Statutis exclusis cognitorum propter 13 agnatos, ut non exorbitantia dici mereantur, sed potius juri, ac antiquis Romanorum, ac Italiæ mori-bris conformia, dum jus novissimum quod femi-narum, & cognitorum aqualem successionem ad-mittit, prodit sub Justiniano in Græcia, ju-xta Graecorum mores, seu probabilius ex motivo adulatiois Tribonianii erga Theodoram; Unde propterea omnino probabilius est, ut moriens ab intestato, quamvis clericus, patrio statuto, potius, quam juri communis novissimo à moribus patriæ, totiusque Regionis extraneo, se confor-mare voluerit, cum clericatus non tollat naturalia, ut latius in dicta ejus sede sub tit. de successione, plures, præsertim in alia Tudertina.

Tum clarius, quoniam ista est quaestio voluntatis, pro qua regulanda queri solet, an magis unum, quam alterum jus attendi debeat; Et consequenter, ad-missa etiam dicta opinione (pro meo tamen sensu miaus

minus probabili), ut in dubio præsumptio sit, quod clericus in ejus successione, potius juris communis, quam statutarii ordinem servari voluerit; Attamen ista est simplex præsumptio juris, qua per contrariam probationem etiam præsumptivam, vel adminiculativam cessa; Ideoque ubi parochus, & duos testes testamentarii, ac alii testes extrinseci, nec non actus, qui altera die præcesserant, non sufficerent ad concludendum testamentum juxta dictam formam ad favorem extranei, atque ad faciendum celare ordinem intellectu successioni; Attamen absolum mihi videbatur, ut superabundarent ad hunc effectum, ut intrare posset intestata successio juxta ordinem Statuti, cum quo (sublata contraria presumptione) constat, quod testator se conformare voluerit; Ideoque meus intellectus percipere non poterat quomodo istud motuum neglectum sit.

Et nihilominus, ubi etiam agendum esset de substituendo testamentum, adhuc mihi videbatur quod, dictis exceptionibus non obstantibus, probationes abundarent; Quamvis etenim aliquorum sensus fuerit, ut *text. in d. cap. cum esses* inducat formam præcisam; Attamen prorsus erronea est haec opinio, cum verius sit ut inducat formam probatoria, ut, alios cumulando, probat *Boss. loco supra tit. cod. iii. §. 7. n. 61.* Idque observabam ad evidentiam probari ex triplici demonstratione.

Primò scilicet, quod textus contentatur presbytero suo, & duabus aliis personis idoneis, & tamen ex communi, ac recepto sensu DD. etiam sine parrocho sufficiunt quatuor testes, quasi quod iste major numerus suppletat qualitatem, seu majorem fidem, quia parroco præfanda est: Ergo non est forma solemnis, ac præcisa, quoniam si ita esset, deberet per necessitatem desiderari interventus parochi, sine quo tamen sufficiunt quatuor testes simplices ex originali doctrina *Speculat. in tit. de Instrum. Edit. §. 12. n. 12.* & scribentes communiter in eodem cap. *cum esses*, ubi praesertim *Abb. num. 7. & Fagnan. n. 59. Dec. consil. 28. sen. 284. num. 7. cum seq. Magdal. de numer. test. par. 2. cap. 8. num. 9. & 10. Cavaler. decis. 497. n. 2. & communiter.*

Secundò, quia tamen desiderari deberet per necessitatem interventus parochi, & tamen receptum est, ut sufficiat confessarius ordinarius, non tamen accidentalis, ut declaravit *Rota in Aesina bonorum 31. Martii 1659. coram Verospio*; ut per *Magdal. dicto cap. 8. num. 5. Capyc. Latr. decis. 12. Rovit. decis. 95. Ottob. decis. 45 dicta Imolen. successio coram Cerro, & in dicta Aesina, ac in aliis collectis per Rub. de testamen. cap. 35.*

Et tertio, quoniam ipsa Decretalis, expresse damnando id, quod per leges humanas statutum est, & quæ tunc de recenti reperte, atque usu recipi coepit, juxta historiam legalem, de qua sub ist. de servit. disc. i. dubitandi anfan prebeat; Assigurationem Divini oraculi, quod in ore duorum, vel trium stat omne verbum; Itaque ratione attenta, indubitate est, ut forma sit probatoria, non autem solemnis; Adeo ut *Bur. super hac decretali*, credat, ut neque dictus numerus sit necessarius, eo quia Papa contra Divinum oraculum statuere non valeat; Et quamvis ista sit opinio singularis, & non habeat sequaces; Attamen ut advertitur supra disc. 6. & latè expendit *Fagnan. eod. cap. cum esses num. 55. & seqq.* id provenit ratione subjectæ materiæ, ob maiorem suspicionem, ob quam major desideratur probatio; Igitur firmum remanet, illam esse formam probatoria, ideoque leguleicam inceptiam esse, desuper certam uniformem, ac generalem regulam statuere; Non quidem ut minor numerus

sufficiat, dum ita majores nostri receperunt, sed posito numero, ut circa maiorem, vel minorem fidem testibus præstandam, facti circumstantie, atque ratio, majoris, vel minoris suspicionis, totum regulare debeant; Ideoque licet magis communiter nostri teneant, ut etiam in hac testandi forma, feminæ non sint testes idonei, ex relatis per *Fagnan. ibid. num. 36.* Attamen, id rectè procedit ubi sine solum duo cum parocco, vel quatuor in totum, secus autem si alia accedat suppletio, ut de feminis *Rot. decis. 116. num. 15. par. 6. recen.* cum aliis collectis per *Boss. d. tit. 13. §. 5. num. 52.*

Declaratio autem admisla in dicta *Aesina bonorum 31. Maii 1659. coram Verospio*, confirmata 6. Ianuarii 1660. ut hæc forma testandi admittenda sit solum in infirmo, non autem in eo, qui in statu salutis testetur, ex auctoritate *Gnid. Pap. decis. 543. num. 11. & 12. & Cened. collectan. 159. num. 7.* cum quo pertransit *Barbos* in collectan. ad eundem cap. *cum esses num. 8.* Nullo pacto videtur vera, quoniam licet *text.* in ea casus figuratione supponat, quod ille testator esset graviter infirmus, attamen non est ea ratio resolutionis, sed altera dicti oraculi Divini, idque enunciatur quoniam ita casus prebeat, ut latè istam opinionem reprobando, probant *Fagnan. in dicto cap. cum esses num. 68. & seqq. Rubeus de testam. cap. 33. num. 50 & seqq. Boss. dicto tom. 3. moral. tit. 13. §. 1. numer. 6.*

Ac etiam quia, cum juxta dictam historiam legum civilium; inventio de recenti sequuta esset inter annum 1530. & 1540. atque ut *eodem disc. i. de servitus*. advertitur, dictarum Legum usus ex quodam decreto Imperiali quoque demandatus fuerit; Hinc proinde Pontifex *Alexand. III. pafatæ decretalis* Auctor, creatus de anno 1559. atque defunctus circa annum 1580. & sic circa ea tempora, vel proxima, nè in terris Ecclesiæ datur aditus, ut Imperator, ipsi Pontifici, & Ecclesiæ infensus (ut chronicæ nimium docent) auctoritate exerceret, ita indefinitè cavit, ut non cum hujusmodi legibus, sed cum oraculo Divino procedi deberet; Igitur omnibus his attentis, omnino improbabili, nullique fundamento innixa videtur dicta restrictio.

Non improbabiliter altera, de qua in *eadem decisione Aesina*, ut non sufficiat quilibet confessarius accidentalis, vel adventitius, sed debeat esse ordinarius, tanquam subrogatus loco parochi, dum Decretalis ponderat, ut sit presbyter suus; Cumque communis schola Doctorum ut supra, etiam sine parroco, vel confessario admittat quatuor testes, hinc proinde spectato fine, seu ratione, pro fæti qualitate, idem quoque intelligendum isto casu videtur, ut æquipollens nempe sufficiat, juxta facti circumstantias.

## ROMANA TESTAMENTI DE MONALDENSIbus PRO CAFARELLIS CUM CREDITORIBUS PATRIMONII MONALDENSIS.

*Responsum pro veritate.*

De testamento inter liberos, quibus  
solemnita-

*De LUCA  
de  
Malandensis  
et al.  
GVT*